

quid ipse adinvenerit, appareat facilius. Speluncam illam initio  
7. Reipublicae postquam descriptsit, animasque nostras huic cor-  
pori inclusas illis speluncae habitatoribus assimilasset, qui non  
in rerum ipsarum, sed in apparentium umbrarum contemplatio-  
ne versentur, infert haec verba:<sup>20</sup> *Hoc sane, ut appareat, non Ostraci  
fuerit revolutio, sed animae reductio ex nocturna quadam die in verum  
entis incidentis redditum, quem philosophiam veram dicimus esse.*

Philosophia ergo ens contemplatur ex Platonis sententia,  
quod loco superiore in Aristotele quoque notavimus. Sed entis  
10 significatio Platoni longe alia est ab Aristotelica. Huic ens est  
omne id ὃ ἐστί quod est: hoc idem etiam Platoni uno modo in  
Phaedone:<sup>21</sup> *Quibus adsigillamus hoc, quod est.* Alio significatu  
dixerat hoc idem ens περὶ αὐτοῦ τοῦ καλοῦ<sup>v</sup> de ipso pulchro et  
de ipso bono et iusto et pio, quibus ideas intelligit. Ens ergo illi  
15 idea est. Sic et 7. Reipublicae eo loco:<sup>22</sup> *Quae nam fuerit, o Glauco,  
disciplina animae tractiva a [317] genito ad ens.* Pythagorea atque  
Parmenidia et entis et geniti distinctione: sic et sequentibus et  
Timaeo et Parmenides et Timaeus distinxerunt, ut ens dicerent  
id, quod semper esset, genitum corpora omnia.

20 At Aristoteles sub entis nomine primi libri De ente capite 2.  
substantiam corpoream comprehendit et reliqua illi accidentia  
novem categoriis comprehensa, atque ita Aristoteli ens est, quod  
illis genitum, Aristoteli philosophia sua versatur circa hoc ens,  
Sophia circa essentias separatas. Quae nequaquam ex eius sen-  
tentia videntur categoriis comprehendi.

<sup>20</sup> τοῦτο δή [δ'], ὡς ἔουικεν, οὐκ ὀστράκου ἀν εἴη περιστροφή, ἀλλὰ  
ψυχῆς περιαγωγὴ ἐκ νυκτερινῆς τινος ἡμέρας εἰς ἀληθινήν, τοῦ ὄντος  
οὖσαν [ιούσης] ἐπάνοδον, ἦν {δή} φιλοσοφίαν ἀληθῆ φήσομεν εἶναι.  
[PLATO, R. 521.c.5 – 8]

<sup>21</sup> οῖς ἐπισφραγιζόμεθα τὸ αὐτὸν [τοῦτο] δὲ ἐστι. [PLATO, Phd.  
75.d.2]

<sup>22</sup> τί ἀν οὖν εἴη, ὡς Γλαύκων, μάθημα ψυχῆς ὀλκὸν ἀπὸ τοῦ  
γινομένου ἐπὶ τὸ ὄν; [PLATO, R. 521.d.3 – 4]

<sup>v</sup> PLATO, Phd. 75.c.11.